lent, aut deniq; improbis actionibus Reipublicæ ſtatum conturbent ladantve, non alienum eſſe a profani Principis munere ipſos ſui officii admonere, atque etiam, ſi opus ſit, ab eo, quod improbe faciunt ſuo imperio refrænare, videtur ſacrarum literarum teſtimonio atque exemplis confici poſſe. Qui Pontificius teſte Druſio ſanius de hac re prophetat, quam fortaſſe noſtri prophetæ facerent: qui ſe ita vocant, cum ſint rerum ſacrarum imperitiſſimi. Deinde licet Levitis & quidem Cahatitis arcam portare competeret, Num. IV, verſ. 15., nihilominus h. l. ſacerdotibus portandi munus injungitur, qui utrum ſoli fuerint, uti textus Hebræus verſ. 3. vult כהנים לוים *Sacerdotes Levitæ*, & Vulgatus, *Sacerdotes Leviticæ ſtirpis*, an vero Sacerdotes & Levitæ ſimul, quod LXX. & *Chaldæo* placuit vertentibus, *Sacerdotes & Levitæ*, jam non diſquirimus, fortaſſe tamen ob pompam & magnificentiam h. l. ſolis Aharonitis h. e. Sacerdotibus portatio injuncta eſt, quæ uti in Tractatu Sota annotatum in aliis duabus, vel juxta Kimchium ad verſ. 3. tribus ſolennitatibus factum eſt. Portabant autem Sacerdotes arcam duorum millium cubitorum intervallo ab Iſraelitarum exercitu ſejuncti, & nubis loco, quæ alias motu ſuo profectionem indicaverat, ſed jam evanuerat, univerſo populo viam, qua tranſeundum monſtrabant. Hoc volunt verba: Attamen intervallum ſit ובנו בניכם *inter vos & inter illam ſc. arcam*, ubi Kethib legendum eſt בינו, Keri vero ביניו ſed eodem ſenſu *inter illam*. Inde Kimchius ad h. l. וביני כתיב וביניו קרי והכי אחד כי ימצא בלשון יחיד ובלשון רבים ויש בו דרש כי שני ארונות היו של יוסף ושל שכינה והיו מהלכין יחד: h. e. בינו *eſt ſcriptum*, & ביניו *legitur, ſed unum idsmque eſt, invenitnr enim vox illa tam in ſingulari, quam in plurali numero. Invenitur de hac voce expoſitio myſtica, quod duæ arcæ fuerint, altera Joſephi*, (quæ ejus oſſa continebat) *altera DEI, utramque vero ſimul portarunt.* Sed licet prius concedamus, poſterius tamen, quod de Joſephi arca iſtius divinæ proximo comite Judæi nugantur, non ſine ratione negamus. Deinde quæritur, cur circiter duorum millium intervallum inter arcam & populum præſcriptum ſit. Reſpondet *Ralbag* ad h. l. וכדי שיראו כלם היה ראוי שירחקו ממנו ולזה צוה אותם שירחקו ממנו אלפי אמה: